

si debitum reddat, si officia divina recitet, si Missam dicat, vel ad eam audiendam se conferat. ita Azor. loco cit. & Suarez ibid. num. eod. in fin.

Ut ergo hæc determinemus, ante necessarium est palam fieri, quænam requirantur ad satisfaciendum huic obligationi de recitandis officiis divinis, quæ item ad satisfaciendum præcepto de dicenda, aut audienda Missa; & quoad primum in recitatione divinorum officiorum plura considerantur, sed nos ea tantum percurramus, quæ ad rem nostram facere videntur, quæ sunt tempus recitandi, locus, & modus. quoad tempus cum Horæ Canonice, ex quibus officia divina constant, septem sint, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium, non dubium est, quod habent diversum recitandi tempus, juxta ritum Ecclesiasticum, quod tempus notabiliter aut anticipare, aut tardare absque causâ, volunt Canonistæ absque culpa non esse. Navar. de Orat. cap. 3. num. 54. Tolet. lib. 2. Instr. Sacerd. cap. 13. num. 3. Suarez lib. 4. cit. cap. 15. num. 12. maxime vero grave peccatum, ac mortale intervenire volunt in universali recitatione in choro faciendâ, ut Suarez dicit ibid. Itaque de hoc tempore nobis est peculiariter considerandum, cum possit quis ratione ipsius tantum rationabiliter impediri, ne in choro recitet. Quoad locum duplex esse potest, aut determinatus aut indeterminatus; determinatus Chorus est, qui requiritur in publica recitatione in religiosis, alijsq; personis ad hoc obligatis. quomodo vero hujusmodi personæ obligentur recitare in Choro, & an aliquo modo peccent, aut quantum peccent, videndum est præ cæteris Suarez loco citato lib. 4. cap. 10. præcipue num. 15. & seqq. sed de his nihil ad nos. Indeterminatus locus est quicumque recitanti liberit, nam in recitatione particulari, ac privata non assignatur locus certus recitandi. Tolet. ubi supra cap. 13. num. 5. Suarez ibid. cap. 27. num. 1.

9 Quoad modum recitandi duo considerantur, nempe vox, & attentio, vel vox externa, & interna; hoc enim importare verba illa, studiose, & devote, in præcepto recitandi apud Concilium generale, ex Glossa dicit Navar. de Orat. cap. 13. num. 1. & ut communissima est DD. omnium opinio in recitandis officiis divinis requiritur vocis expressio. D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 12. in corp. Nicol. Plovius de Hor. Canon. par. 2. quæst. 3. Io. de Lignano ibid. quæst. 11. Alb. de Ferrar. eod. tract. num. 60. & seqq. Suarez lib. 4. cit. cap. 7. num. 6. Tolet. lib. 2. Instr. Sacerd. cap. 17. Roderic. quæst. Canon. & regul. quæst. 43. art. 4. tom. 1. & idcirco mentaliter tantum recitando non satisficit obligationi. Roderic. ubi mox. Tolet. ibid. & ibi Victorell. verb. Nisi ore proferant, ubi ea de causâ dicit, male nonnullos DD. excusare eos à peccato, qui mentaliter tantum recitant, rationes autem, cur externa vox in hujusmodi orationis genere requiratur, vide apud D. Thom. ubi supra, Tolet. ibid. num. 3. Suarez loco citato, & alios. 11 Sed requiritur etiam, ut diximus, vox interna, nempe attentio, quæ cum triplex sit, Navar. de orat. cap. 13. num. 4. hoc est prima circa verba, quando recitans attendit, ut singula verba bene, & integre, quantum est ex se, proferantur; secunda quando attendit ad sensum verborum, & tertia, quæ attendit ad finem orandi, considerando se coram Deo præces fundere, DD. volunt primam attentionem omnino esse necessariam, secundam nequaquam, quemadmodum neque tertiam, licet hæc sit maxi-

mæ utilitatis. D. Thomas ubi supra art. 13. in corp. Tolet. loco citato. cap. 13. num. 5. & 6. Suarez ibid. lib. 5. cap. 6. num. 8. & 13.

De utriusque autem vocis externæ scilicet, & internæ qualitate definiti debet, qualisnam sit oporteat; & quoad externæ qualitatem distinguitur in eo, qui publice, & in eo, qui privatim recitat. nam is, qui publice recitat, ita debet vocem extollere, ut à populo intelligi possit, is autem, qui recitat privatim, debet vocem saltem ita exprimere, ut se ipsum verba proferentem intelligat, de quibus videndus post alios præ omnibus abunde differens Suarez cit. cap. 7. Quoad attentionem autem notandum, quod etiam primo illo attentionis genere, de quo diximus, qui satisfaciatur præcepto de recitando officio divino, non tamen idcirco, ut ajunt DD. potest homo cum hæc sola attentione absque peccato mente vagari, & alio cogitationem dirigere; nam cum multi, postquam se in hujusmodi recitatione convenienti temporis spatio exercuerint, officium memoriter optime teneant absque ulla alia attentione ad ipsam verborum expressionem, in qua ob jam acquisitum habitum non errant, sequeretur, quod satisficerent absque ulla alia attentione, quod non est dicendum, quia oratio sine ulla attentione non potest dici oratio. Suarez lib. 3. cap. 4. num. 5. imo 13 & ipsa voluntaria oratio sine attentione mala est, Navar. de orat. cap. 12. num. 39. & seqq. & sic, si qui recitat non orat, non satisficit, ergo qui nullam habet attentionem non satisficit: necessaria ergo est virtualis quadam attentio, nempe ut recitans habeat à principio propositum, & voluntatem attendendi, etiam quando involuntarie sit distractus, & se distractum cognoscit, debet ad eandem attentionem eodem proposito redire Navar. de orat. cap. 13. num. 13. & seqq. & Suarez ubi supra num. 7. & seqq. Itaque præsupponere debemus nos, teneri recitantem officium divinum, ut culpam evitet ad hoc, quod diximus, nempe ut mente recurrat ad attentionem, quam à principio intendere debuit, si involuntarie aliquando distrahat, quæ cum ad negotium Medicum nonnulli faciant, recensenda omnino erant; nam hæc omnia considerare debet Medicus, qui suum iudicium ferre debet, utrum recitatio divinorum officiorum possit ita huic, aut illi morbo, huic, aut illi homini noxia esse, ut inde recitans notabile damnum reportare possit, tunc enim intrat secundum Canonistarum sententiam excusatio.

Eadem consideratio adhibenda quoque est circa ea, quæ requiruntur in publica recitatione, & in Choro, & in dicenda vel audienda Missa. nam in publica recitatione requiritur, ut jam diximus, præsentia in Choro, vel in loco determinato, tempus item determinatum, aut saltem magis determinatum, quam in privata, vox elatior, ita ut non à se ipso tantum, sed ab assistantibus quoque intelligi possit. In Missa dicenda major, intensiva inquam, labor corporis, per horæ enim quadrantem quod minimum est, celebrans cogitur stare, qui situs laboriosus corpori est, magis multo, quam deambulare, aut quomodocumque moveri, ut alias adnotavi. requiritur ulterius major attentio, neque enim sufficit illud primum genus attentionis; vocis etiam requiritur intelligibilis prolatio à circumstantibus, & si quæ alia sunt, de quibus suo loco.

In

16 In audienda tandem Missa breviter dicitur illud requiri, corpore adesse, & mente attendere ad id, quod in sacro fit: nam, ut DD. dicunt, absque eo quod quis intelligat, & comprehendat verborum, quæ in Missa dicuntur significationem, absque eo quod quis etiam auribus audiat eorum sonum, absque eo quod quis videat ea, quæ in sacro fiunt, præcepto huic de Missa audienda diebus festis satisficit corporis præsentia, & mentis attentio, Navar. de orat. cap. 13. num. 8. Tolet. Instr. Sacerd. lib. 6. cap. 6. quod etiam innuere voluit Poeta noster Torq. Tassus sive Hierus. cant. 11. ff. 14. de hujusmodi sacrificio canens:

Humili intonso afooltano i primieri,

Le vifto i piu lontani almen o ban fisse.

De præsentia autem corporis non est, quod ali- quid dicamus, de attentione vero volunt DD. eam debere esse talem, ut homo advertat ad id, quod fit, neque data opera mente divagetur faciendo actus attentioni contrarios. Tolet. ubi supra num. 1. Et in omnibus, ac singulis his commemoratis casibus infirmitatem, aut præsentem, aut quæ de facili timetur præbere justam excusationem, aut non recitandi officia in Choro, aut non dicendi, vel non audiendi Missam, communiter decidunt DD. omnes, ubi de causis ab hujusmodi obligationibus homines eximentibus verba faciunt. sed qualis debeat esse infirmitas, ut excuset, si præsens est, aut iustum timorem inducat, si præsens non est, unde legitima emergat excusatio, ad Medicum, non minus, quam in superiori casu de recitatione officiorum divinorum, pertinet judicare; itaque de hoc in seqq. differemus, & primo agemus de morbis, qui hominem à privata recitatione excusare possunt secundum Medicinæ Canones, deinceps de iis, qui à recitatione peccato redire debent, tertio de iis, qui excusare possunt à missa celebranda, ultimo de iis, qui excusant à missa audienda; post quæ alia nonnulla addemus ad hoc ipsum argumentum pertinentia, illud ante omnia Lectorem commonendo, me semper tanquam Medicum loqui, nolens, ut hæc, quæ afferro, vim Legis habeant, sed ea potius Canonistarum iudicio submitteant, illud unum satis superque mihi esse testatur, si secundum Artem, quam profiteor ea, quæ se mihi offerunt discutienda, determinavero.

S V M M A R I V M.

- 1 Morbus qui excusare debeat à recitatione divinorum, qualis esse debeat.
- 2 Capitis dolor an excuset.
- 3 Azoris opinio examinata.
- 4 Dolores quidam speciales, qui excusare possunt. & num. seq.
- 5 Dolores capitis intermissiones habentes an semper excusent.
- 6 Dolores aurium, & dentium an excusent.
- 7 Vertigo an excuset.
- 8 Obvatio an excuset.
- 9 Somnolentia innaturalis an excuset.
- 10 Morbi nervorum qui excusare possunt.
- 11 Melancholia, & insania disticta intervalla habens, an excuset tempore intermissionis.
- 12 Catarrhus an excuset.
- 13 Ophthalmia, & alii nonnulli oculorum morbi qui excusent.

- 15 Sorditas an excuset.
- 16 Navium hemorrhagia an excuset.
- 17 Mutitas, & alia quadam oris vitia quæ excusent.
- 18 Gutture affectus, qui excusent.
- 19 Tussis an excuset.
- 20 Asthma an excuset.
- 21 Sanguinis spatum, Empioma, Phthisis an excusent.
- 22 Cordis tremor, palpitatio, Syncope an excusent.
- 23 Cardialgia an excuset.
- 24 Ventriculi affectus, qui excusare debeant.
- 25 Sitis, quando excuset.
- 26 Intestinalium affectus quidam qui excusent.
- 27 Venarum hemorrhoidalium affectus, qui excusent.
- 28 Hepatis morbi, qui excusare valeant.
- 29 Lienis affectus, qui possint excusare.
- 30 Renum affectus, qui excusent.
- 31 Hernios an excusentur.
- 32 Arthritici an excusentur.
- 33 Febres intermittentes an, & quando excusent.
- 34 Tumores qui, quæ vulnera excusent.
- 35 Fœmie in quibus morbis peculiariter excusentur.

Quinam morbi excusare possint à privata divinorum recitatione.

Q U Æ S T I O II.

Cum palam sit ex superioribus, quænam requirantur ad divinorum recitationem, possumus non magno negotio, illis perpensis, determinare, quinam morbi ita huic obligationi impedimento esse possint, ut nonnulli cum gravi, & rationabili vitæ periculo liceat ei satisficere, & cum superius quoque dixerimus, levem morbum sub hoc censu non venire, & gravem non indigere Medici iudicio, remanent tantum nonnulli morbi considerandi, qui dubium excitare possent; de quibus ut determinemus, illud pro fundamento sit oportet ex Canonistis desumptum, quod morbus, qui jure hominem excusare ab hac obligatione possit, talis esse debet, ut illum ita impediat, ne absque gravi salutis propriæ discrimine, aut absque nimio dolore, & corporis vexatione prædictum pensum perolvere valeat; ut post vetustiores Tolet. lib. 2. Instruit. Sacerd. cap. 14. num. 1. Azor. Instr. mor. lib. 10. cap. 13. in princ. Suarez. lib. 4. de virt. & stat. Relig. cap. 28. num. 19. Tom. 2. Navar. de orat. cap. 11. unde non tam faciles Medici esse debent, ut pro quolibet morbo iudicent ægros excusandos, ne in illos possit Navaræ reprehensio loco proxime allegato, ita ut minus probi Medici nomen negligere videantur. sed non solum si morbus directe recitationi divinorum impedimento sit, excusatur, sed etiam si indirecte, Roderic. quæst. Canon. & Reg. Tom. 1. quæst. 42. art. 7. aut etiam si non de præsentem, & in ipsa recitatione, sed etiam in futurum rationabiliter timeri notabile periculum potest, idcirco morbi graves, quales acuti sunt, & qui febrem continuam adjunctam habent, dolores insignes, & maxime molesti, nullum dubium, ut diximus, faciunt, ita ut neque Medici iudicio opus sit ad decidendum, an ægri excusentur, nec ne, quia palam, & in promptu causa est, ex qua absque dubio

ij. Vu 3

reci-

recitanti summa noxa emergere potest, quia ex continuata officii recitatione, ex attentione, quancunque tandem illa sit, ex lectione, ex tempore etiam determinato facile insurgere potest febrium augmentatio, earundem recrudescencia, remedi-
 2. Offert igitur primo sese nobis considerandum capitis dolor, cujus cum plurimæ species sint, & unus quidem gravis sit, alius acutus, alius pulsans, alius terebrans, alius pungens, & unus quidem totum caput aggravet, alius vero aliquam ipsius partem, non potest generaliter esse vera Azorii opinio *Instit. moral. lib. 10. cap. 13. in princ.* volentis capitis dolorem non excusare à divinorum recitatione; immo si absolute, & generaliter loquendum est, magis vera esset contraria conclusio, nempe quod dolor capitis debeat excusare; patet enim ex Medicorum auctoritate, sermonem, (cui prope accedit lectio cum distincta voce, & intelligibili sit, ut in divinorum recitatione evenit) vim quamdam habere, ut caput impleat, & gravitatem afferat. *Oribas. lib. 6. collect. cap. 7.* unde patet, quod cum dolor indicet partem affectam, quia ubi dolor ibi morbus, recitatio officii noxia ex se esse possit capite quomodocunque dolente. Nec contra id facit, quod Mercurialis *lib. 6. de Art. Gymnast. cap. 6.* ex Cælio Aureliano, & ex Seneca dicebat, nempe, quod clara lectio capiti nequaquam sit nocua, sed potius proficua argumento quod Cælius eam præcipiat in capitis dolore *lib. 1. 1. d. 1. d. 1. cap. 1. & in mania ibid. cap. 5.* & Seneca illa usus fuerit ad refrenandas capitis destillationes; nam neutrius auctoritate multum in hoc fidendum; quia Cælius non absolute jubet in capitis dolore lectionis exercitium, sed cum jam dolore ægri fuerint relevati; in insaniam autem lectione non utitur tanquam ad exercendum caput, sed ad spiritus excitandos, & ad falsas persuasiones in ægro tollendas. Seneca autem amico destillationibus obnoxio claram lectionem suadet ad exercendum potius pectus quam caput, quod in illis destillationibus affici credebatur, ut videre est *epistol. 78.* quamobrem recte idem Mercurialis loco allegato addit, sermonem in capitis doloribus, alisque pluribus ejus affectibus interdici; ac profecto ita fecundum plurimum sese res habet, non tamen semper, unde determinandum in quibus doloribus excusatio sit legitima, in quibus vero non.

4. autem dolores vel à causa calida sunt, vel frigida, vel sicca, vel humida, vel aliqua ex his composita. at certe in causa calida magis noxia recitatio, quam in frigida, & in sicca, quam in humida; recitando enim divina caput calefit, & exiccatur, & morbi causa augetur; at hoc quemadmodum in causa calida, & sicca, aut ex his composita est noxium, sic in causa frigida, & humida, aut ex his composita poterit esse proficua caput calefa-

ciendo, & materiam dolorem causantem absumendo; quod etiam caput dicatur lectio imple-
 re, non est quod inde notabilis noxa timeatur, quia major est utilitas, quæ ex calfactione, & exiccatione provenire potest, quam damnus, quod expectari posset ex aliquo vaporum elevatione ad ipsam caput. His tamen omnibus non obstantibus, dicendum videtur, ea locum habere in doloribus mediocribus, nam ubi vehementes fuerint, & molestissimi, etiam à frigida, & humida causa fuerint, & respectu ipsius molestiæ, & vezationis corporis, & respectu dejectionis virium, & aliorum symptomatum inde provenientium, sufficientem causam præbent, ut homo sibi timeat majus malum ex recitatione divinorum.

Non est autem opus particulares capitis dolores recensere, ut constet, quinam excusare possint, qui non; quia hoc ab eorum gravitate, & levitate dependet; itaque nec quicquam interest, totumne caput dolcat, ut in Cephalæa, seu Cephalalgia, aut ipsius pars, ut in Hemierania, in Clavo: in omnibus enim, ac singulis eadem ratio habenda, maxime cum interdum magis periculosi, ac molesti sint dolores capitis particulares, quam universales, ut ipsa docet experientia. eodem quoque pacto nihil refert in hoc negotio, utrum caput per Idio-
 pathiam, aut propriam affectionem, vel per sympathiam, & consensum aliarum partium dolcat, ex lectione enim, & recitatione divinorum facile dolor, qui proprius capitis est augetur, qui non proprius est, proprius evadere potest, ob illud, quod annuum lectionis incommodum, nempe quod vim habeat replendi caput. Notandum tamen, quod dolor occupans tantum externam capitis cutem, sicuti faciliorem habet exitum, quia facilis curatur, & minus affert periculum, ita etiam non facile ab hac obligatione excusare debet, nisi esset supra tolerantiam inferius, præsertim cum in recitatione possit adhiberi modus, ne noxia quibusdam affectionibus sit, ut in questione propria dicemus.

Sed cum ex doloribus aliqui habeant suos insulsum, & exacerbationes, ut febres habent, & notum sit, quod aliqui morbi, qui per totum diem non affligunt, sed intermissiones habent, non excusent totaliter à divinorum officiorum recitatione, sed ab ea parte tantum, cui tempus afflictionis impedimento est, Suarez *lib. 4. cap. 27. num. 27.* Filiucci, *tract. 23. cap. 9. num. 295.* videndum, an hoc etiam in doloribus locum habeat. dicendumque in hoc, quod dolores vel sunt magni, & intensi, vel mediocres; item intermissio aut est magna, ut spatii unius diei, quod dolor affligat de tertio in tertium, aut de nocte, & non de die, aut contra interdum exacerbetur, noctu quiescat, aut intermissio est modica, ut paucarum horarum. Igitur dolores magni si modicam habeant intermissionem justum omnino impedimentum præbent non recitandi officia etiam in ipsa intermissione, quia consequens est morbum, & morbi causam augetur per huiusmodi recitationem. ubi autem intermissio sit magna, etiam si dolor sit magnus, nulla noxa expectari potest ex recitatione facta tempore interpolationis, cum cautela tamen, de qua suo loco. si vero dolores sint mediocres, & intermissio modica adhuc non esset tutum recitare, quia facile esset ex ea causa dolorem ex interpolato fieri continuum, & majorem, si vero intermissio sit magna, nulla

nulla causa est, quin absque ullius noxæ timore recitari possit, quæ tamen locum habent in doloribus nobilium partium, nam cæterarum, nisi intensissimi sint, non eadem consideratio habenda. quod denique de dolore capitis diximus locum etiam habebit in doloribus partium nonnullarum ipsius capitis, ut essent dolores aurium, aut dentium, qui aliquando sunt acutissimi; sed dolor aurium præcipue, etiam tantam acutiem non for-
 7. Post capitis dolorem sequitur quoddam symptoma, Vertigo dictum, quo non modo aliqui ex alia quacunque occasione prehendi solent, sed sunt qui ex ipsa lectione facile in illud labantur, estque certe magni momenti affectus, tendit enim aliquando ad Epilepsiam, vel Apoplexiam, aut consimiles morbos Galeno asserente *comm. 3. Aphor. 17.* confirmantibusque DD. omnibus in suis practis capite proprio de vertigine, est hic tamen considerandum, vertiginem quandam fieri à causa interna, quandam ab externa. quæ ab externa causa fit, cum facile removeri possit, remota causa, nullo impedimento in recitando est, nisi esset ipsa lectio. neque ob id, quod quis ob capitis debilitatem facile in vertiginem ex qualibet leviori causa incidere, idcirco magis excusatur, dummodo eas causas removere, aut evitare possit, ad quod teneretur, ne illi essent impedimento, quo minus huic obligationi posset satisfacere. Vertigo porro, quæ ab interna causa fit, duplex item est vel gravis nimirum, vel levis; utraque vel per consensum fieri potest, vel per essentiam; ut de dolore diximus. In vertigine gravi (nempe quæ hominem cadere in terram cogat, quæ diu duret, quæ frequenter prehendant) undecunque fiat, vel per propriam capitis affectionem, vel per alienam, locum omnino habet excusatio. In levi (non ita tamen, ut ob sui levitatem in consideratione venire non debeat) si fiat per consensum distinguendum, nam vel fit ex causa aliqua notabili, & frequens est, vel fit ex levi causa, & frequens non est; in primo casu periculum imminet, ne quotidiana, ac frequentata divinorum Officiorum recitatione, vertigo invalescat, hominemque in peiores morbos conjiciat; in secundo cessat humulmodi periculum, levis enim causa facile est amovibilis.

9. In oblivione quoque, & memoria deperdita non parvum intercedere potest dubium, an ex recitatione ullum notabile periculum imminet, nec ne; cum enim omnis actio, quæ ab Animali fit calore naturalem defatigat, & in his affectibus partium, & capitis præcipue calor fit imbecillis, ac succumbat, ita ut præcipue ejus virtutes corrumpant, videretur non deberi frequentata lectione, & attentione huiusmodi calor defatigari, ne diminutus omnino evanescat. contra tamen sese res habet, quia vocis exercitatio in his affectibus summo juvenamento esse potest dicente Hippocrate *lib. 2. de Dieta mem. 16. in fine.* Quicunque labores vocis sunt, veluti sermo, aut lectio, aut cantus, omnes hi animam movent, mota autem siccat, & calefit, & humiditatem in corpore consumit. itaque non modo divinorum recitatio non erit nocua in his affectibus, sed apprime proficua ad calefaciendas partes refrigeratas, & absumendam exuperantem, atque

excrementitiam humiditatem illas obsidentem; unde conferet his sic affectis clare legere, & vocem etiam intendere; nam vocis intentio summa prodest naturali calori excitando, pituitæ crassæ, ac tenaci erudæ, & meatibus aperiendis. quæ de causa refrigeratis corporibus calienti indigentibus comoda est. verba sunt Rabi Moyse *sectiam. 7. Aphor. 54.* competer ergo divinorum recitatio si quid aliud in prædictis morbis.

In somnolentia item non naturali non modo non nocet recitatio, sed quia, ut diximus, clara lectio humiditatem Cerebri exuberantem, ex qua somnolentia fit, evacuat, ac digerere est apta, potius utilis erit, quam secus; unde jure ab Oribasio *lib. 6. collect. cap. 7.* dictum est, sermonem (cujus vicem supplet clara lectio) aptum esse iis, qui præter modum ad somnum sunt propensi. nec quicquam faceret, quod lectio possit hominem magis somnolentum reddere, ut deinceps dicemus, quia ubi in hoc debita cura adhibeatur, vocem intendendo, sese dimovendo, ac deambulando, si opus sit, aut alia quadam corporis actione sese excitando, facile hoc incommodum evitatur. Major difficultas est de præternaturali vigilia an legitime à recitatione possit excusare. nam primum vigilia ubi modum excedat, malum portendit; & quot, ac quanta incommoda, si superexcedens, ac diuturna fuerit, parere possit, docuerunt omnes practici in propriis capitibus, neque hoc mirum videri cuiquam debet, quia somnus animalibus datus, ut anima quiesceret à magis laboriosis operationibus, neque ullum animal absque somno ea de causa diutius vivere potest, virtute omni concidente. secundo recitatio divinorum cum aliqua saltem attentione facta caput magis calfacere, & exiccare potest, & sic morificam causam notabiliter auget; ex quibus videretur dicendum, vigiliam innaturalem, ubi diuturna sit, & molesta, debere hominem excusare à recitatione divinorum ob evidens inde imminens salutis recitantis periculum. Sed alia tamen ex parte notum est, ex ipsa lectione aliquando somnum excitari, unde idcirco questum est ab Aristotele *lib. 18. Problem. 1. & 7.* cur sit, quod lectio quibusdam somnum inducat, alios autem pervigiles reddat. quod quidem ex varietate naturæ ipsorum vaporum ad caput sese elevantium, credendum evenire; in quibus enim humidiores sunt, & frigidiores somnum facile excitant, eos autem, in quibus calidi, & sicci sunt, & acres, potius pervigiles reddunt. licet & ipsius capitis in hoc crasis tanquam causa concurrat. Dicendum, in his rationem particularium habendam; ubi ergo quis longis, ac molestis vigiliis afflictaretur, ejusque esset natura, ut lectio, & recitatio illum magis insomnem redderet, & ex vigilia debilitatem, stomachi cruditatem, aliaque symptomata incurreret, absque dubio ex recitatione evidens timere posset periculum eo affectu durante. contra autem esset, ubi quis lectione somnum facilius arripere, & ex vigilia nullius virtutis notabile reportaret incommodum.

Ab his considerari possunt morbi Nervorum, in ut est prægressa Apoplexia, Epilepsia, Paralysis actu affligens, Spasmus, Tremor, membrorum torpor, & si qui alii his similes sunt, qui dummodo prolutioni omnino non incommodent, nullam reportare possunt noxam ex divinorum recitatione, quæ non solum in his morbis obesse non potest, sed maxime prodesse, excitando partium calorem, &
 ij. Vu 4 mode.

moderate cerebrum, nervosque exiccando. Dixi autem, dummodo omnino prolationi non incommodent; nam interdum huiusmodi morbi nervos, & musculos, aut linguam moventes, ceterasque partes prolationi destinatas obfident, ipsamque prolationem vel in totum, vel ex parte impediunt, sed nisi in totum impediunt, debent infirmi omni conato nisi, ut verba proferant, & assidua prolatione partes illas expediant, quod quidem ipsa recitatione assequi facile licet.

¹² In Melancholia, & Infania speciebus omnibus, quæ dilucida habent intervalla quæri potest, an exculatio habeat locum, & videretur dicendum, quod non, quia ubi ægri ad rationis usum restituantur, absque dubio huic obligationi videntur subiecti, neque videntur aliquid inde notabile incommodum posse reportare. immo potius aliquam utilitatem, veluti esset excrementorum, ac fumidorum vaporum ad caput repentium dissolutio, ipsius intellectivæ facultatis excitatio, calor partium vivificatio, levis ad somnum propensio, & huiusmodi, at vero non possunt hæc simpliciter in omni affectu simili locum habere. itaque distinguendum est inter ipsas demencias, nam vel frequenter reverfionem faciunt, vel de raro. ubi frequenter revertantur, certum est ex quotidiana divinorum recitatione ita posse Cerebrum lædi ob calorem, & exiccationem ex lectione, & attentione excitatam, ut ex interpolata fiat dementia continua, quod non nisi summo cum damno succederet. ubi vero dementia de raro præhenderet, ut semel in anno, aut bis, nisi alia major causa urgeret, nullum timendum esset ex recitatione damnum; si modo æger lectione ipsa non dementiret, ut aliquando evenit.

¹³ De Catarrho peculiaris consideratio habenda. voco autem hic catarrhum destillationem in capite ad pectus, relictis aliis ejus nominis significationibus, est enim duplici ex respectu in magna consideratione habendus; primo quia læditur in hoc affectu caput tanquam pars mandans, cujus frequentata lectio, & attentio quotidie in recitandis officiis requisita potest magno opere obesse; nam ut Oribasilus, ex quo alias id ipsum repetit, lib. 6. Collect. cap. 7. sermo (qui ejusdem naturæ cum lectione est, nisi quod sermo interdum nulla attentione fit, lectio vero raro sine aliqua attentione) vim quamdam habet, ut caput impleat, & gravitatem afferat, quin etiam vires dissolvit. Secundo quia in hoc ipso affectu læditur pectus tanquam pars recipiens, ex quo cum derivet vocis materia, frequentata lectio poterit ipsi magno documento esse ipsum pectus exalfaciendo, ac præbens illi occasionem, ut majorem in modum irruentem catarrhum ad se alluciat. sed de catarrho quoad hoc negotium ita ratiocinandum, catarribus vel est maxime molestus, & indefinenter affligens, vel est benignior, & tolerari faciliior; de posteriori nihil dicendum, cum in eo locum non habeat exculatio; de priori autem notandum, illum aut esse cum capitis calore, materia salis, atque acris, & tussi molesta, difficultate anhelitus, & huiusmodi, vel esse cum capitis frigiditate, vel non magno calore, & cum materia crassa, ac viscida; in primo casu certe ex recitatione imminet certum salutis periculum, caleferi enim & caput, & pectus majorem in modum ex lectione necesse est, materiam majorem salidinem, atque acredinem inducere, tussim irritari, & respirationis difficultatem augeri, unde evitare ægro non licebit,

quia pulmonibus ulceratis in Phthisim labatur. contrario autem modo evenire certum est in alio casu, nam ex quotidiana divinorum recitatione caput moderate caleferi, & fluens materia per insensibiles poros digeri potest; quin & pectori hoc modo succurritur, ut videbimus, cum de morbis pectoris verba faciemus.

Accedendum vero jam ad Oculorum morbos, & primum in Ophthalmia gravitas, aut levitas morbi, & accidentium consideranda, debent etiam an reverfionem facere soleat, exacerbationes pati, & quam pertinax sit ad curandum. universatiter tamen illud sciendum, quod cum Oribasilus, lib. 5. Collect. cap. 7. dixerit, sermone lippientibus esse incommodum, certe multo magis incommoda erit lectio, & divinorum assidua, & quotidiana recitatio. peculiariter autem Ophthalmia, seu oculorum inflammatio, quæ gravis sit, maxime irritari potest ab officiorum recitatione, unde major in dies timenda symptomatum adauctio, visus imminutio, & morbi vicinis partibus communicatio. in levi autem lippitudine, etiam si his periculis non sit æque obnoxia, si tamen de facili reverfionem facere soleat, timendum ex recitatione est, ne materia ipsius oculis infixâ, aliosque convocat molestos ipsorum oculorum affectus, ut Cornæ exulcerationem, suffusionem, pupillæ dilatationem, aut etiam Tabem, & alios his non abfimiles. hoc autem non accipiendum ita, ut in quacunq; ophthalmia locum habeat, sed in ea tantum, quæ licet inflammatione, tumore, ac dolore non sit gravissima, non idcirco tamen aspernabilis omnino est; in levi enim quemadmodum comminata cessant pericula, ita omnis cessat non recitandi exculatio.

Succedunt alii oculorum morbi notati digni, præcipue autem Soffusio, Cataracta dicta, Oculoritas, seu Amaurosis, Nyctalopia, visus debilitas, Imaginations, qui omnes aut via in cæcitate sunt, aut cæcitatem inducunt, cujus periculi respectu ad lectionem abstinere homines necesse est, & a visionis quacunq; defatigatione, & maxime ab ea, quæ fit lectione literarum minutionum, quæ in his affectibus est suspensissima. Si tamen alias quis majorem officiorum divinorum partem memoriter teneret, tanto minus damnum ex recitatione reportaret, quanto minor officiorum pars legendo recitanda ab eo esset. De visus autem debilitate adnotandum an naturalis sit, vel adsciticia; naturalis enim (quæ tamen à præternaturali aliqua causa non esset adaucta) non parem timoris causam daret cum adsciticia, quam in tantum fovere posset assidua lectio, & officiorum recitatio, ut tandem in perfectam cæcitatem terminaret. sed quomodo quis in visus debilitate sese gerere recitando debeat, ut quam minime, aut nullo modo ex recitatione lædatur, suo loco dicemus.

¹⁵ Surditas, aut gravis auditus recte, ut mihi videtur, ad persolvendum debitum recitandi divina dicuntur non excusare. Suarez de viri. & stat. Relig. Tom. 2. lib. 4. cap. 27. num. 17. quia cum ut plurimum hæc symptomata à frigida materia originem ducant, & lectio, ut sæpe dictum est, possit caput moderate calefacere, & exsiccare nullum ex officiorum recitatione damnum, sed immo notabile juvamentum ægri reportare poterunt. Nec contra hoc faceret, quod opponi posset probando recitationem divinorum maxime posse esse noxiam in surditate, quia surditas detrimentum pulmonis est. Aristot. in Probl. scil.

¹⁶ Sæpe cit. c. 7. sermo, & consequenter etiam lectio, si aperta voce fiat, his, quibus sanguis ex naribus fluit sit nocua, quod etiam adnotavit Alex. Bened. lib. 4. sue præf. c. 5. non ab re determinandum videtur, quod ubi quis huic affectui sit obnoxius, ita ut superfluentem, & magna cum difficultate reprimibilem sanguinem fundat, evidens vitæ periculum æger subeat, aliq; expertus sit ab huiusmodi causis, aut similibus facile hunc fluxum reverti, abstinendum illi sit ex Medici consilio ab officiorum recitatione, at si fluxus neque frequens, neque diuturnus, neque multus sit, cessante periculi evidentia, non debet abstinere. nam etiam si iteratus sanguinis fluxus undecunq; fiat possit hominem in Cachexiam, Hydropem, frigidolque alios morbos conjicere, tamen, modo adhibito in recitando, potest omne inconveniens, ac periculum evitari, ut recitando submissa voce, ac placide, & cum aliis conditionibus, de quibus in postrema questione verba faciemus.

Quoniam vero vocis prolatio est præcipue partium pectoris, oris, & linguæ, idcirco non prætermittendum de harum partium affectibus loqui, possunt ergo inter eos affectus considerari mutitas, & loquelæ alia quædam vitia, oris inflammatio, ulcerata, tumores, sic etiam & linguæ, ejusdemque oris distorsio, seu Palalysis, vel Cynicus dictus Spasmus, sic etiam linguæ resolutio, aut convulsio, & hujus generis alii affectus. & quoad mutitatem dubio quidem locus non est, quod cum ad satisfaciendum huic obligationi requiratur vocis prolatio, & muti hæc sint orbati, non videantur muti teneri ad recitandum, sed proponam Canonistis circa hanc materiam dubium quoddam ab ipsis decidendum; nam evenit interdum linguam quibusdam præcidi, non quidem totam, sed aliqua ex parte, ex qua tamen omnino loquelæ, & prolationis usum amittunt, verum Medicorum industria huic impedimento opem tulit, quoddam instrumentum in ulum trahens (de quo Paræus lib. 22. c. 5.) cujus ope lingua mutilata potest verba integre, ac bene proferre, non secus ac si mutila non esset. Vtrum ergo qui sic loqui potest, alias non potest, tenetur ad divinorum recitationem? De sermone autem tarditate, aliisque loquelæ impedimentis, nihil quicquam addendum videtur; nam frequens sermo, lectio, recitatio, & huiusmodi actiones potius juvamento, quam damno his affectibus esse possunt.

Oris inflammatio, nisi exigua adeo sit, ut aspernabilis judicetur, recitatione certe irritari facile potest, & hominem vitæ discrimini exponere, cum inflammatio hæc fit etiam contiguis partibus, gutturi scilicet, & faucibus communicabilis, unde perneccabilis squinantia excitari potest. Quoad ulcera, si magna sint, si malignitate aliqua inquinata, aut exedentia, cum calore, & robore notabili, idem profus di-

cedendum, quod de simplici inflammatione diximus; alias si non magna sint, neque maligna, neque exedentia, neque cum multo calore, & robore, nullum reportantur à recitatione periculum, modo adhibito. Quod spectat ad tumores distinguendum, nam si sint ex materia frigida, absque inflammatione, recitatio potius erit proficua, quam damnosa. si sint ex materia calida, & cum inflammatione, tunc conjungi solet illis febris, & recitatio erit timenda, majorem enim in modum tumores augere, & inflammationem poterit non sine evidentiore vitæ periculo; quæ vero de oris affectibus diximus linguæ etiam affectus debent comprehendere, eadem enim damna in iidem casibus ex recitatione in linguæ affectibus emanare possunt, cetera autem oris symptomata, de quibus mentionem habuimus, ut etiam linguæ juvari magis, quam oblati à voce quæcunq; illa sit exercitatione, possunt; & idcirco non modo prohibendi ægri non sunt à recitandis divinis officiis, sed cogendi ut recitent, sic enim & debito satisficient, & non aspernabile remedium pro agritudine depellenda habebunt.

Post Oris affectus considerandum est de affectibus Gutturis, ex quibus majorem considerationem sibi vindicat inflammatio, seu illa Tonillarum sit, five Gutturis, five musculorum quorumcumque Gutturis ipsius, aut linguæ. Ex his, si Antiades, hoc est Tonillarum inflammationem excipias, reliquæ omnes, etiam si non magnæ essent, sed tantum mediocres, facile ex recitatione adaugeri, & ita irritari possent, ut hominem jugularent; præterquam quod etiam caput ex ea repleti potest, & materiam inflammationi subministrare; quoad Tonillas autem, nisi febrim adjectam habeant, aut insignem inflammationem facile contiguis partibus communicabilem, nullo impedimento esse illas dicendum, quo minus homo recitare officia tuto possit, præsertim si modum habeat in recitando.

A faucibus procedendum ad pectus, primique affectus, de quo considerandum sit, est Tussis, non tamen quæcunq; sed quæ frequens sit, diuturna, & molesta, & maxime sicca. in hac itaque cum maxime afficiantur vocis instrumenta, videtur quod recitatio admodum noxia futura sit, quia cum sicca tussis vel à sicca intemperie, & exasperatione ipsius arteriæ asperæ fiat, vel à materia acris, ac subtili, vel à vaporibus calidis, atque acris, certum est, quod, cum recitatio apta sit pulmones, asperam arteriam, atque omnia vocis organa & calefacere magis, & exiccare, non possit ullo modo nisi summe noxa esse, magis enim partes exaspirabit, & exiccabit, tussisque mirum in modum irritabit. contra tamen est Medicorum consilium, in tussi enim quacunq; sit sicca sit, five humida non solum confert moderata lectio, sed etiam vehemens, qua de re Cels. lib. 4. sue Medicin. cap. 4. rubr. de Tussi, Oportet, inquit, in Tussi lectione uti vehementi, quæ primo impeditur à Tussi, post tam vincit: non modo ergo Tussi non nocet divinorum officiorum recitatio, sed maximo juvamento esse poterit, quia tamen aliquando Tussis excitari solet à materia fluente à capite ad pectus cum ipsius capitis plenitudine, poterat in hoc casu dubium intervenire, quia caput ex lectione majorem in modum repleti est consentaneum, & tussis causam adaugeri est vero Tussis cum pertinax, ac molesta est non tantum sui causa maxime timenda, sed etiam quia propter ejus pertinaciam, & vehementiam vasa pectoris dirumpi, pulmones, & alia vasa exulcerari, Phthisis inde accerfiri, & alia mala periculi

dicti. Item alii mitiores sunt, alii vero mediocres, alii ob eorum acutem intolerabiles. Dolores ergo Iliaci, quia semper molestiores sunt, & insigniter vires dejiciunt, etiam si essent leviores (dummodo alias homo valentius ab illis angitur consueverit) facile ex sola divinorum recitatione aut irritari, aut mirabiliter augeri possent dum aliquo modo affligunt; quod non fieret absque multa corporis anxietudine, & evidenti vitæ periculo, cum hujusmodi dolores pernecabiles sint, & levi negotio ob eorum atrocitatem hominem è medio tollant. Colici dolores cum non adeo vehementes sint, si leviores, aut etiam mediocres exstiterint, nullo impedimento recitationi erant; quin immo ex clara lectione fieri possent, ut potius levarentur, quam intenderent; sed si magis acuti sint, tunc certe dum actu affligunt maxime incommoda esset recitatio, adaugeri enim possent, aliique intestinis communicari, hominique exitio esse. In omni porro fluxu genere (loquor autem ubi febris non adit, nam præsentem febrem jam universaliter determinatum est, quid sentiendum) consideranda vires sunt, quæ si insigniter ex fluxu deici, ac dissolvi videantur, certe labor in recitandis divinis officiis susceptus, saluti ægrotantium inimicus aperte est; at vero ubi vires constent, nihil quicquam is incommodare illis videtur; nisi forte peculiare quid in Dysenteria placeat determinare, in qua quia ulcus adest in intestinis à materia calida, acri, ac mordaci, facile fieri posset, ut ex quotidiana, ac frequentata recitatione nimis excalescent humores ulcus majus fieret, evidentiusque cresceret, non sine rationabili vitæ discrimine, quod locum habebit non in gravi solum, sed etiam in mediocri morbo, nempe qui dolore, fluxu, & aliis conditionibus non esset aspernabilis.

27 In ultima Intestinorum parte hæmorrhoidales venæ sunt, quæ interdum inflantur, inflantur, dolent, adaperiuntur, sanguinemque in multa, & interdum in excedenti nimis copia effundunt. simpliciter inflantur, aut apertioni recitatio nihil quicquam obesse potest. Inflammationi, si magna est, officere aliquando possent, non tamen insigniter. ubi vero dolor urgeat, nisi magnus sit, & intolerabilis, nihil quicquam recitatio obesse poterit, alias nocua insigniter esset, cum hi dolores interdum sint acutissimi, & vires insigniter deiciant. In apertione, si sanguis in magna copia effundatur, duplici ex capite officiorum recitatio poterit ægrotis esse nocua, primo ob virium defectum, qui in omnibus sanguinis evacuationibus insignis esse solet; neque ob id, quod hic sanguis per hæmorrhoidales venas evacuetur, dicendum in hoc casu non adeo vires deici, ut quando ex aliis venis effunditur, quia hoc habet locum ubi naturalis ille fluxus sit, non autem ubi est morbosus, in hoc enim, ut experientia patet, sanguis tenuissimus, atque optimus solet excerni. Secundo est nocua recitatio ratione apertionis venarum, nam ex frequentata recitatione, sanguis magis excalescit, ad exitum fluxibilior reddi potest, & vasa etiam majorem in modum adaperiri, unde homo in non contemptum morbum facile dilabatur.

28 Ceterum connumeratis affectibus succedunt reliquorum naturalium viscerum morbi, & symptomata, & primo Hepatis, cujus ægrotantibus qui obnoxii sunt Hepatici dicuntur. hi calorem ipsius visceris debilem sentiunt, quemobrem male suo munere fungitur, crudumque sanguinem generat,

neque recte sanguificat, unde fit, ut homines & male colorati perpetuo sint, & viribus admodum imbecillibus, & tamen non ob id ex divinorum officiorum recitatione quicquam damni posse eos reportare existimandum, levis enim illa caloris exercitatio totius corporis calorem excitare potest, & male affecto etiam visceri succurrere: idemque sentiendum videtur de obstructionibus ipsum hepatis indefinenter exercentibus, quæ cum ex crassis, crudis, viscidisq; humoribus proveniant, juvari magis, quam irritari à vocis illa exercitatione possunt; unde neque Ictericis, morbo regio, sive Arquato laborantes ob id abstinere ab officiorum recitatione licite possunt, cum nihil habeant, quod ex ea propria salutari timere debeant, nam & illis potest optulari potius, quam secus, & Cæcæcis vero, aut malo habitu præditis, atque Hydropicis, si, ut Antyllus apud Oribas. lib. 6. Collect. c. 8. constat convenire vociferationem, eo quod ab illa subleventur, crudosque, ac superfluentes humores degerent, & naturam calorem exsiccarent, nulla causa est, quin etiam divinorum recitatio convenire non possit, nam & hæc modice excalescere ipsos potest, & actiones quas-cunque coadjuvare. Vnicus Ictericis affectus est, cum quo ægri notabile nocuum ex divinorum recitatione reportare possunt, atque is est hepaticus dictus fluxus, in quo quæ exercentur sunt veluti carniæ loturæ, quem DD. voluerunt esse affectum hepaticis ipsis familiarem, sed aliquando diversus omnino est, & si quidem aut familiaris hepaticis sit, aut ex fe præhendat, semper à recitatione divinorum hominem prohiberet ob noxam, quæ inde certa salutari emerget, tum quia vires debilitat, tum etiam quia fluxum irritat, & alia mala generare apta esset, quæ hominem facili negotio morti addiceret.

In Lienis affectibus eadem locum habere debent, sed in omnibus his id, quod jam alias monuimus, iterum repetendum, intelligi nempe hæc ubi morbi febre vacent, nam alias pluribus morbis tam naturalia, quam alia quæcunque viscera, & partes cum febre afficiuntur, qui maximæ considerationis sunt, & semper periculo juncti, & idcirco locum in his sibi vendicat universalis conclusio à nobis in hujus questionis principio proposita de febris, & morbis, qui febris copulantur. illud tantum hic addendum, quod febres quedam lentæ, ac diurnæ, quæ tamen nullo symptomate, si calorem, & pulsus frequentiam excipias conspicuæ sunt, & quæ præsertim à viscerum, melaeraicarumque venarum obstructione dependent, excipiendæ sunt à communi illa conclusione, nisi forte hæcæ suspicio irreperet, aut à tenuibus desillationibus à capite ad subjectas partes fierent, ut fieri interdum experientia docet.

Renes & ipsi gravibus morbis obnoxii sunt, nobis ad præsens negotium proponendi tantum sunt Diabetica passio, calculus, sanguinis fluxus ab iisdem partibus, urinae difficultas, & suppressio. In Diabete, quæ hydrops Matulæ, & urinæ profusivum dicitur, adest totius corporis consumptio, summasque virium languor, & renum excedens calor, quemobrem recitandi labor insigniter in hoc affectu ægris potest officere; nam & vires profertere magis poterit; & spiritus absorbere, & Renum calorem præcipuum Symptomatis causam adaugere. In calculo nullum se esse offert recitandi impedimentum, nisi dolore urgente, non quidem quocumque, sed gravi, in quo ob corporis anxietudinem

nonnimis incommoda recitatio esset; eo tamen remittente, nullam ab ea noxam expectare licet. In hæmorrhagia, vel sanguinis fluxu ex ipsis renibus proveniente, etiam fluxus non esset admodum copiosus, recitatio esset timenda, nam in modico facile cautela adhibita omne incommodum evitatur, at si excedat, & præcipue si magnus sit, profecto recitatio nullo modo tutanda est. Molestissima passio est urinæ difficultas, & tamen non habet in quo officiorum divinorum recitationem revereri possit, nisi summam corporis angustiam, animique insignem perturbationem. quæ omnia multo magis molesta sunt in totali illius suppressione, quam tanti faciendam censio, ut nihil supra; & licet recitatio in hoc quoque affectu minus sit timenda, cum nihil molestiæ ægrotantium saluti afferre possit, tamen impossibile esset hominem cogere ad recitandum, tanta anxietudine hoc symptoma ægros exercet. sunt præterea nonnulli ex connumeratis affectibus, qui vesicæ quoque proprii sunt, ut lapis, urinæ difficultas, ejusdemque suppressio, idemque de his videtur determinandum, quod de superioribus determinatum est.

31 Herniæ species plures sunt, nulla tamen eorum in causa, esse potest, quo minus tuto divina ab Herniosis recitari possint, nisi exitus intestinorum præcipue alium quempiam graviorem affectum excitaret, ut dolorem non aspernabilem, ventris torporem, calorem in parte præternaturalem, & hujusmodi, tunc enim quia facile periculum inflammationis immineret, & dolor irritari posset, fugienda essent quæcunque quocumque modo causam majori morbo dare possent, inter quæ suum sibi vendicat locum labor in recitandis divinis officiis perpetratus. non enim dubium est, affectas partes ejus occasione facillime tumesceri, quod etiam, ubi dolor urgeat, ex simplici locutione evenire animadvertitur. alias autem etiam si Hernia magna esset, & intestina majori ex parte in scrotum prolapsa, nihil mali ex recitatione evenire potest, modo præsertim adhibito.

32 Arthritici dolores etiam si familiares homini sint, non impediunt tamen divinorum recitationem, sed dum actu affligunt, & atrociores sunt, videndum esset, an ex recitatione notabiliter Arthritici lædi possent; at profecto non video quicquam eos inde lædi posse, ob corporis tamen summam anxietudinem, esset aliquid dolorum molestiæ condonandum. immo ubi dolores etiam spinalis medullæ, collicque articulos exercerent, cum in his quilibet vel minimus capitis, aut oris motus soleat illos insigniter irritare, non essent omnino Arthritici ab evidenti noxa immunes, sed notabile vitæ periculum subirent, ne ex dolorum irritatione, inflammatio alias cunctis obfessis partibus familiaris adaucta, vicinisque partibus communicata inquinantiam, aliumve quemdam graviorem affectum produceret. alias vero non tanti faciendi ejus generis dolores, ut in recitandis officiis divinis homo notabilis damni quicquam reportare possit; immo ex hoc labore (cum omnis corporis exercitatio plerumque impeditur articulis sit prohibita) commodè exerceri homini licet, & aliquam inde utilitatem reportare.

33 De febris intermittentibus dubitatum à Ca-

nonistis est, an hominem tota die exulent à divinorum recitatione, vel an potius teneatur homo in febris remissione, aut omnia, aut nonnulla ex divinis recitare, & videntur omnes in eam sententiam venire, quod teneatur saltem eam officii partem recitare, quam potest, exemplificante de Quartana, & Tertiana. Azor. *Instit. moral. lib. 10. cap. 13. in princ.* Suarez de *virt. & stat. Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 27. num. 23.* Tolet. *lib. 2. Institut. Sacerd. cap. 14. Filiucc. Quest. Moral. tract. 23. cap. 9. num. 295.* Roderic. *Quest. Canon. & reg. tom. 1. q. 42. art. 7.* Quia tamen & natura, & status morborum mirum in modum diversificantur, & interdum morborum accidentia sunt majoris momenti, quam ipsi idem morbi, distinctione in his opus esse videtur, nam vel febres leves sunt, aut mediocres saltem vigoris, vel sunt fortes, & habentes validos paroxismos, sic etiam vel intermissio est certa, & longa, vel est dubia, ac brevis. item in intermissione cum ipsa febre remittuntur, aut omnino cessant accidentia febris, vel adhuc in ipsa intermissione, aut omnia, aut magna ex parte affligunt, vel alia ab ipsa febre relinquuntur, ut lassitudo magna est, debilitas, stomachi imbecillitas, nausea, subversio, inappetentia, vigiliæ, capitis dolor, & alia id genus. ubi ergo interpolatio est certa, & longa, febrisque omni ex parte remittit, & cum ea febris accidentia, eorumque nulla, aut pauca, neque magna remanent, nulla causa est, ob quam ægrotantes timere debeant divinorum recitationem; at contra si interpolatio sit brevis, aut incerta, & præcesserint paroxysmi fortes, & post febrem remaneant accidentia febris, tunc quidem timendum est, ne febris adaugeatur, ne accidentia irritentur, ne ex intermittente continua fiat, ne homo tandem periclitetur, & in Tertiana certe, nisi levissima sit, & notha, hæc omnia habere veritatem experieris, dependet enim si exquisita, ac vera sit, ab humore calidissimo, ac ferventi, maximamque habente activitatem, & facile etiam ex minima occasione agitabilem, unde motus fieri solent vehementes, ita ut etiam cessante febre, plurima remaneant symptomata, quæ febre ipsa pejora existunt. In Quartana autem cum interpolatio major sit, nempe duorum dierum, si simplex sit, aut unus integri, si duplex, hæc non ita procedunt, licet & ipsa ubi vehemens sit pessime interdum ægros accipiat, consuecatque ingentem lassitudinem, marem, ac tristitiam, debilitatem, viscerum obstructiones, inappetentias deploratas, & hujusmodi alia symptomata in intermissione relinquere.

Ceterum quoniam etiam feminae religiose obligantur ad divinorum recitationem, habent & ipsæ peculiare quosdam morbos, ex quorum culpa possunt ab ea recitatione notabile detrimentum reportare; de quibus tamen generaliter dicendum est, quod, nisi sint febris, & vehementibus symptomatibus concomitata, non facile impedimento esse possunt divinorum recitationi. Vna tantummodo, aut altera ægrius est præ reliquis in feminis hujus rei respectu consideranda, nempe fluxus menstruum immodicus, & fluor albus ipsius uteri. cum primo ergo affectu, si notabilis sit, & non facile amovibilis, recitatio profecto posset esse summopere nocua, ut

ut fere omnibus immodicis hæmorrhagiis esse solet; facile enim fit, ut ex assiduo motu oris, partiumque vicinarum, etiam si levis sit, venæ majorem in modum adaperiantur, & sanguinis motus concitetur, in fluore albo, nisi admodum immoderatus sit, nequaquam æquale periculum imminet, sed adhibita cautela, poterit recitatio esse innocua. His addi potest dolor uterinus, & ipsius uteri suffocatio, in quarum ægritudinum prima dicendum, quod nisi dolor acerbitas obster, recitatio non fit prohibenda; in secunda vero dicendum, quod, si ea passio fit insignis, & frequenter prebendat, omnino prohibeat hominem à divinorum recitatione: nam & maxima in ea anxietudo interuenit, & multa, ac confertim facta spirituum resolutio, ex qua summa corporis debilitas infirmas insigniter exercent.

35 Postremo de Tumoribus, & vulneribus mentio habenda. & Tumores quidem pro partibus, quam obident, natura, pro accidentium concomitantia, pro humorum ipsos excitantium qualitate possunt aut notabile nocumentum à recitatione reportare, aut immanes ab omni noxa esse; nam Tumoribus, exempli gratia, calidis, caput occupantibus, aut pectus, vel alias insignes corporis regiones, febribus concomitatis, doloribus, inflammationibus, recitatio certam afferre potest, ac insignem noxam; contra si frigidi sint, si ignobiliores partes obideant, si leuibus accidentibus associantur, recitatio nulli nocumento esse poterit: idemque de vulneribus videtur determinandum, quæ tamen magnitudine non sunt æstimanda, sed qualitate, & partium nobilitate; nam & leuiuscula quidem capitis vulnera (nisi adeo exigua sint, ut aspernabilia iudicentur) aut pectoris, aut aliarum nobiliorum partium, & ubi aliqua magna vena aut arteria continui solutionem patiatur, aut si sanguinis rejectio difficulter cohibeatur, non modo à simplici recitatione insignis damnum reportare possunt, sed etiam ex frequentato, ac levi sermone, & multo magis ex lectione.

Morbus denique Gallicus; cutaneæ infectiones, & alii quidam affectus, de quibus hic peculiaris mentio non habetur aut ex se quidem nullam oblationem ex recitatione reportare possunt, aut si aliquibus symptomatibus, majorique morbo associantur, ad superiora capita reduci possunt; iuxta quorum determinationem aut notabiliter oblati à recitatione eos posse, aut non ita, ut sufficienter excusent, nobis determinare licet.

S V M M A R I V M.

- 1 Morbi à privata recitatione excusantes, multo magis excusant à publica.
- 2 Morbi aliqui etiam si prohibeant recitare, non prohibent adesse in Choro.
- 3 Vertigo leuis an excuset à publica recitatione.
- 4 Melancholia, & Insania, an à publica recitatione excuset.
- 5 Epilepsia an ab eadem recitatione excuset.
- 6 Asthmatici à publica recitatione, an excusentur.
- 7 Stomachi dolor, cruditas, & alii huiusmodi morbi, an à publice recitando excusentur.
- 8 Calculosi à publica recitatione an excusentur.
- 9 Heruosi an in Choro recitare cogendi.

- 10 Arthritici dolores an ab ea recitatione excusentur.
- 11 In febribus intermittentibus an valeat excusatio recitandi in Choro tempore intermissionis.
- 12 Fluxus mensis inmodicus an Mulieres à publica recitatione excuset.
- 13 Excusatio à publica recitatione locum habet in quibusvis sanguinis evacuationibus immodicis.
- 14 Fluxus albus uterinus, an mulieres à publice recitando excuset.

De recitatione publica in Choro faciendâ.

QVÆSTIO III.

QVÆ à privata recitatione divinorum idcirco hominem excusare possunt, quia ex ea notabile ejus saluti detrimentum imminet, multo magis excusare videntur à publica recitatione in Choro; nisi forte illud adnotare libeat, nonnullos ex prædictis morbis à recitatione quidem homines prohibere debere, quia ab ea insigniter oblaederentur, qui tamen prohibere non possunt, quo minus præcites in Choro esse possint, ut exempli gratia Surditas est, Ophthalmia, Cæcitas, sanguinis sputum, stomachi dolor non actu affligens, & omnes pene morbi, qui etiam in interpolatione excusare possunt ob reversionis periculum, & alii permulti, ergo nisi simul & semel qui eximitur à recitatione, eximatur ab interuentu in Choro (non inquam ab auditione recitandi, nam de hac re suo loco dicam) certe de huiusmodi morbis esset peculiaris considerandum, cum tamen hoc (nempe an excusatus à publica recitatione, excusetur etiam à presentia in Choro) sit mihi adhuc incomperum, neque ullam circa hoc Canonitarum determinationem viderim, de illis ulterius verba facere pro nunc supersedebam, reiciamque id ad eam ipsam quaestionem de auditione recitandi.

Sed præter commemoratos morbos, qui excusare videntur à privata recitatione, adhuc alii sunt, qui non à privata, sed à publica tantum excusare debent, de quibus aliquid peculiariter addendum. Diximus ergo leuem vertiginem, sed non frequentem nullo modo impedimento esse, quin homo possit divina recitare, quod quidem non in recitatione privata tantum, sed etiam in publica locum habet, dari tamen potest casus (nec difficilis quidem eventus est) ut homo ex aliorum hominum frequentia, ex aeris exaltatione, ex cantu, ex luminibus, aliisque huiusmodi concurrentibus facile vertiginem pateretur, tunc ergo quia morbus non solum semper repellulare potest, sed ex frequentatione Chori majorem in modum adaugeri, certe homo ex tali recitatione non nisi notabile nocumentum saltem processu temporis expectare rationabiliter possit; nam, ut diximus, vertigo præiudicium quoddam est majorum morborum, & si frequenter prehendat, etiam si levis sit, in eos tandem terminatur; at vero si vertigo levis sit, neque ex hac causa irritetur, tunc certe non majus detrimentum homo reportabit à publica, quam à privata divinorum recitatione.

Iam vero, præteritis aliis quibusdam morbis, Melancholia, & Insania idcirco de se particularem

Qvæstio III.

De Officiis Divinis.

larem speculationem exposcunt, quia, ut de vertigine diximus, exire solet, quod aliqui ex hac una causa, nempe ex publica recitatione, & ex hominum frequentia, facile mente moventur; idcirco igitur, licet in Melancholia, & dementia, cum habent dilucida intervalla longa, ut sex mensium, aut etiam integri anni, dixerimus non posse ægros notabiliter lædi à privata divinorum recitatione, tamen ubi interuentus in Choro esset procathartica causa reversionis paroxysmi, jam abstinere omnino debent ægri ab hac publica recitatione, quia non solum morbus revertetur, sed ægri in pejorem omnino statum singulis diebus lapsi, tandem nunquam resipiscerent, quæ quidem locum quoque habent in Epilepsia, quam certe non aliam ob causam sacrum morbum vocari voluerunt aliqui, nisi quia in sacris faciendis ipsorum hominum frequentia illi obnoxios molestare consuevit, quem admodum & ob id ipsum Comitialis dictus est, vel quia cum ægros præhendunt dum Comitia haberentur, Comitia dimittebantur: omitam autem volens alias causas cur Sacer ab Auctoribus dictus sit, recentitas præcipue à Mercurial. lib. 1. præf. cap. 26. in princ. esset ergo omnino evitanda publica recitatio ab Epileptico, dummodo soleat alias Epilepticis insultibus molestari; non enim ex hoc quod quis semel, aut iterum Epilepsia sit correptus, quicquam timere sibi debet ab hac publica recitatione, sed si frequentius corripatur, ac præcipue expetitur sit ea occasione se concidere, tunc omnino abstinere debet, quia facile est hominem in accessione succumbere, si frequentius revertatur, ac fortiter,

6 Quoad Asthmaticos, seu Anhelatores illud considerandum, an à motu lædantur, nec ne; sunt enim qui, vel leuissimo motu facta, suffocari plane videntur, hi autem non tam ratione recitationis in iplo Choro faciendæ, insigniter oblati possunt, quam ratione motus, neque solum eundo, & redeundo, sed etiam in aliis plerisque corporis motionibus, quæ in Choro fiunt; nam quoad ipsam vocem jam monuimus, ægros magis iuvari, quam oblati posse à divinorum recitatione, neque ob id, quod in publica recitatione vox magis elevetur, expectandum idcirco majus nocumentum inde est, nam contra pectus cum vox attollitur expeditius à crassis, viscidisque materiis illud obidentibus expurgatur, & respiratio liberior evadit; unde huiusmodi ægri (nisi moveri prohibeantur, quod maxime in ipsis accessionibus habet locum) in Choro interuenire debent, ubi primum publica recitatione in divinum cultum directa, & ex ea etiam notabile levamen suæ ægritudinis reportare poterunt, si studiose vocem attollant, atque pectus exercent, facile enim experientur illud ab excedentibus excrementis hac ratione expediti.

7 Stomachi dolor, qui moderatus sit, ejusque cruditas, & inflatio, nausea, inappetentia, aliaque ejus symptomata à materia cruda dependentia non sunt impedimento publicæ recitationi; cum enim vociferatio ex Antyllo apud Orisiam loco sæpe cit. cap. 8. calorem augeat, purget, firmet, & attenuet, solidasque corporis partes robustas, puras, & offensæ minime ob-

noxias reddat, præsentaneo remedio his affectibus esse potest, quod & ipse Antyllus paulo post addebat dicens, Convenit autem hæc stomachicis, vomentibus, acidum rustantibus, ægre concoquentibus, &c. unde quo magis ægri huiusmodi in Choro vocem attollant; eo magis à circumstante populo officia divina percipientur, & sic ipsi magis debito satisficient, ac magis etiam ab ipsamet recitatione iuvabuntur, eadem ratio est de Hydropicis, Chachecticis, crudisque humoribus repletis, ac refrigeratis, immo, ut idem auctor dicebat, etiam de his, qui ex morbo refici debent, his enim omnibus accommodatissimam vociferationem esse inculcabat.

8 Qui calculo laborant, ut diximus, à privata recitatione nihil quicquam oblaeduntur, non sic autem à publica, intelligo autem de iis, qui doloribus Nephriticis ex calculo, aut vesicæ ex eadem causa molestari facile solent, hi enim coacti vocem attollere, iidem doloribus facile præhendi possunt, qui acutissimi, ac molestissimi sunt, ob quorum causam abstinere à recitatione deberent, quod præcipue haberet locum, ubi alias homo expertus sit, se à vocis elevatione in prædictos dolores labi, non tamen quicunque dolor considerabilis esset, sed gravis, aut ejus naturæ, ut cum eo lapis motus facile urinam supprimeret, quod etiam absque illo dolore ex hac ipsa causa, nempe divinorum recitatione alta voce facta accideret, hoc est, ut urina ex moto lapide, vel crassiusculis arenulis supprimeretur, homo deberet omnino à recitatione abstinere, quia quanta mala impendant ex urinæ suppressione, quantaque anxietudine homines in ea vexentur, unusquisque novit.

Herniolium non est dubium à vehementiori voce, qua in Choro opus est, posse insigniter oblati, siquidem adaperiuntur magis viæ, & intestina, vel aliud quodcumque Herniam generans ad locum rupturæ decidant, unde non aspernandum incommodum, ac morbus notatu dignus excitatur. Verumtamen cum hæc facile remedium sortiri posse experiamur (nam subligaculis huic negotio aptis intestina, cæteraque à ventre ad rupturam decidantia suo in loco detinemus) nihil incommodi, quod notabile sit, ex recitatione etiam altiori voce facta ægri reportare poterunt: si tamen non obstantibus ligaturis, ex levi occasione intestina in scrotum prolaberentur, non esset ea res negligenda; facile enim fit, ut intestina conduplicata in causa sint, ne feces externi possint, quæ inibi indurate, & superexaltata inflammationem concitant, ægris exitiosissimam, inde enim volvulus fit morbus carnis, ac perniciosissimus, ex quo homines frequentius ob ejus ferociam succumbunt, quam liberentur; & hoc quidem familiare Herniosis esse, ut ex hoc symptomate pereant, testatur Paræus lib. 16. cap. 58.

Arthritici dolores etiam si actu affligant, neque exacerbari ex divinorum recitatione, neque graviores morbum accersere possunt, nisi acutissimi sint, & plures articulos obideant, maxime autem superiores, & præcipue cervicis, tunc enim præterquam quod motu quocunque irritari possunt, ex qua potissimum causa ægri in Choro præcites esse prohibentur, ipsa recitatio alta voce facta posset non aspernabile